



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1605

De L. Annæo Seneca Vetervm Avctorvm Loci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

DE L. ANNÆO SENECA VETERVM AVCTORVM LOCI.

Eusebius in Chronologiâ.

I.
Olymp.
cccxi.



ANNÆVS Seneca Cordubensis, præceptor Neronis, & patruus Lucani Poëta, incisione venarum, & veneni haustu perijt.

B. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis.

II.

L. Annæus Seneca Cordubensis, Socionis Stoici discipulus, & patruus Lucani Poëta, continentissima vita fuit: quem non ponerem in Catalogo sanctorum, nisi me illa epistola prouocarent quæ leguntur à plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum: in quibus, cum esset Neronis magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit, eius esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos. Hic ante biennium quàm Petrus & Paulus coronarentur martyrio, à Nerone interfectus est.

Commentarius antiquus in Iuuenalis Satyr. v. versu cix.

III.

A Senecâ.] Hic sub Claudio quasi conscius adulteriorum Iulii Germanici filii, in Corsicam relegatus, post triennium reuocatus est. qui et si magno desiderio Athenas intenderet, ab Agrippinâ tamen erudiendo Neroni in palatium adductus, seuum immanemq. natum & sensit citò & mitigauit: inter familiares solitus dicere, Non fore sæuo illi leoni, quin, gustato semel hominis cruore, ingenita redeat sæuitia. Huic postremò, quod habitus esset inter conscios coniurationis Pisonianæ, Nero per Tribunum ultimam necessitatem denunciavit. Hic interritus, amicorum animos, quibus iam eius casus lacrymas exciuerat, ad firmitudinem reuocauit rogans: Vbi præcepta sapientiæ? vbi tot per annos meditata ratio aduersus imminentiâ? cui præterea ignara fuerit Neronis sæuitia? neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos, quàm vt educatoris præceptorisq. necem adiceret. Deinde sibi venas præsecans, crurumq. venas abrumpens, & durante tractu lentitudineq. mortis, hausto veneno, postremò calida aquæ stagnum introiens, exanimatus est.

Tacitus lib. xv. Annalium. Cuius verba in Vitâ data & explicata sunt.

Cetera quæ ad Senecæ vitam pertinent, videre potes apud eundem auctorem lib. xi. xii. xiii. xiiii. & xv. Annalium: sed & apud Dionem lib. vlt. Suetonium & Xiphilinū in Nerone, Plutarchum περὶ ἀποφύσεως, & in vitâ Othonis.

NOTÆ.

II.



IVS ESSE LOCI APVD SVOS.] Hoc in adumbratis illis epistolis adumbratū exstat: Nam qui meus apud te locus, qui tuus velim vt meus. Balbuties est, fueritque: qui tuus apud tuos locus, velim vt meus.

III. SENSIT CITÒ, ET MITIGAVIT.] Pro mente Scholiastæ videbatur: & indicauit. Nam sequentia sic volunt.

VBI PRÆCEPTA SAPIENTIÆ:] Sunt è Tacito sumpta, an ex ipsis Senecæ verbis? quæ vulgo tradita Tacitus scribit.

E LO.